

8.12.19

*Imp. Theodosius A.. Severino pu.*

Quia plurimae domus cum officinis suis in porticibus Zeuxippi esse memorantur, reditus memoratorum locorum pro quantitate, quae placuit, ad praebenda luminaria et aedificia ac tecta reparanda regiae huius urbis lavacro sine aliqua iubemus excusatione conferri.

*D. Vid. Ian. Victore vc. cons.*

[a. 424]

8.12.20

*Imp. Theodosius et Valentinianus AA. Cyro pu.*

Qui sine auctoritate divini rescripti ad iudicium tuae celsitudinis destinandi angiportus integros vel partes suis domibus incluserint seu porticus usurparint, procul dubio iura pristina sacratissimae reddere civitati iubemus: multa auri quinquaginta librarum non defutura, si quis posthac in similem audaciam prodire temptaverit.

*D. k. Nov. Theodosio A. XVII et Festo cons.*

[a. 439]

8.12.21

*Idem AA. Cyro pu.*

Basilicam inauratam. et marmoribus decoratam liberam in perpetuum manere neque alicuius imaginis pictarum cuiuslibet honoris tabularum adumbratione fuscari iubemus, neque in aliqua parte eiusdem basilicae tabulato quicquam opere stationes ergasteriae constitui sancimus.

1 ¶ Illud quoque decernimus, ne in eam equos liceat intromitti vel nuptias celebrari.

*D. XI k. Febr. Constantinopoli Valentiniano A. V et Anatolio cons.*

[a. 440]

8.12.22

*Imp. Leo A. Erythrio pp.*

Nemini iudicium liceat in hac inclita urbe vel in provinciis nova opera inchoare, priusquam ea, quae coepta invenerit a decessore vel praedecessoribus suis, vetustate diruta aut desidia derelicta diligenti studio instantiaque compleverit, cum ex hoc plurimum laudis adquirat, si ea culta et perfecta reddiderit, quae vetusta sunt et instaurationem requirunt quaeque ab aliis initiata et imperfecta resederant.

*D. II k. Mart., Constantinopoli Marciano cons.*

[a. 472]